augerique coeperunt, corpus humanum invasit. Quorum
quantus sit numerus, exinde conijcere licet, quod unus
Galenus medicorum princeps in uno oculo humano 112
morbos reperiri affirmare non dubitavit; et si in
uno oculo tot reperiuntur, quot quaeso in toto capite
reperire erit? Et cum omnes isti morbi ad nos usque
liberè et impunè in corpora nostra descendant, quam pu-
tatis fore mundi faciem? quem statum? quas aerumnas?
quanto miserulè tantis malis nihil est calamitosius,
execrabilius, et mortalium generi exitiosius: tanto opta-
bilius, salutarius, hominibusque conducibilius nihil con-
tingere potest, quam concedi aliunde remedium et au-
xilium, quo corporum nostrorum hostes illi crudelissimi
confodiantur iugulenturque; quo, inquam, gravissima-
rum aegritudinum varietas expellatur, vehementissimaque
dolorum acerbitas extinguatur. In quo verò tale
aliquod praesidium nobis repositum existimabimus? non
in Philosophia, quae nos discurrere docet. non in Iuris-
prudentia, quae, quo pacto res nostras tueamur, common-
strat. non in SS. Theologia, quae virtutum definitiones,